



Nr. 16.


13c

OGDOADIS DISSERTATIONVM  
DE  
**HAERESIOLOGIA**  
SECVLI POST CHRISTVM NATVM PRIMI  
ET SECUNDI,  
**QVARTA**  
DE  
**SIMONE MAGO**  
ET EIVS SECTATORIBVS;  
NEC NON  
**EBIONAEIS ET NAZARAEIS;**  
TANQVAM  
HAERETICIS FALSO CREDITIS;  
QVAM  
*IN REGIA FRIDERICIANA*  
DIE            MARTII HVIVS ANNI MDCCXXV.  
IN ACTV DISPVTACTIONIS PUBLICO,  
PRAESENTE  
**D. IOACHIMO LANGIO,**  
S. THEOL. PROF. ORDIN. ET ORDINIS SVI h. t. DEGANO,  
DEFENDIT  
RESPONDENS  
**IOACHIMVS SCHVLZE,**  
LENZA - PRIGNIC.  
S. THEOL. CVLTOR.

---

HALAE MAGDEB. TYPIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP.

ACADEMIS DISSEMINATIONUM  
HAFERSTOLOGIA  
SECUNDI POST CHRISTVM NATVM PRIMI  
GAVRATA  
SIMONI MAGO  
IOACHIMVS SCHAFZE  
D. IOACHIMO FVNGIO  
THEOLOGICO-PHILOSOPHICO-PRACTICO-POLITICO  
HETAE MAGDEBVR TATIS CHRISTIANI HERCULII AGED. LVI



DISSERTATIONIS IV.

DE

HAERETICIS SEC. I. FALSO CRE-  
DITIS

MEMBRVM I.

DE

SIMONE MAGO,

ET EIVS SECTATORIBVS,

PRAECIPVE

MENANDRO.

Σύνοψις.

**P**remittitur locus de Simone præ-  
cipuis ex Irenio. §. I.

*Eisque subiungitur aliis e Iustino  
Martyre. §. II.*

*Et fit tractationis partitio secun-  
dum testimonia de Simone biblica &  
ecclæsticæ. §. III.*

*E testimonio biblico notantur Si-  
monis imposturae ante baptismum. §.  
IV.*

*Et status istius præfisi catastro-  
phe per baptismum, cum sacrificio &  
penitentia simulatione. §. V.*

*E locis scriptorum ecclæsticorum*

*primum agitur de Simonis coniuge,  
Helena. §. VI. VII.*

*Deinde de doctrinorum eius por-  
tentis. §. VIII.*

*Nes non de falso credito eius cer-  
tamiae cum Apostolo Petro. §. IX.*

*Et de statua ipsi Romæ erecta. §. X.*

*Denique de sectatoribus eius, spe-  
ciatim de Menandro. §. XI.*

*Subiungitur epigris in testimonia  
veterum de Simone Mago, qua inter  
alia ostenditur, Simonem nec hereti-  
cum, nec heresarcham, sed impos-  
tum suisse, hereticis deteriorum. §.  
XII.*

## §. I.



Ocus de Simone præcipiuus in  
veterum monumentis, præter eum  
Lucæ in Actis c. VII. is est, quem  
habet IRENAEVS aduersus hære-  
ses L. i. c. 20. Ex quo cum sua di-  
uerso modo hauserint sequentium  
ætatum scriptores, is merito hic,  
etsi prolixior, e versione Latina  
non horrida minus, quam obscura, in qua sola huius auto-  
ris scripta adhuc exstant, integer adponendus, & deinceps,  
in sua membra diuisus, obseruationibus aliquot illustran-  
dus erit: *Simon Samarites, magus ille, de quo discipulus &*  
*scđator Apostolorum Lucas ait: Vir quidam autem nomine*  
*Simon &c.* Et cum adhuc Magus non credidisset Deo; &  
cupidus intendit contendere aduersus Apostolos, uti & ipse glo-  
riofus videretur esse, & vniuersam magicam adhuc amplius  
inscrutans, ita ut in stuporem cogeret multos hominum: quip-  
pe cum esset sub Claudio Cæsare, a quo etiam statua honoratus  
esse dicitur propter magicam. Hic igitur a multis quasi Deus  
glorificatus est, & docuit semet ipsum esse, qui inter Iudeos  
quidem quasi Filius apparuerit, in Samaria autem quasi Pater  
descenderit, in reliquis vero gentibus quasi Spiritus Sanctus  
aduentauerit. Esse autem se sublimissimam virtutem, hoc est  
eum, qui sit super omnia Pater, & sustinere vocari se, quod-  
cunque eum vocant homines. Simon autem Samaritanus, ex  
quo vniuersæ hæreses substiterunt, habet hujusmodi scđæ ma-  
teriam. Hic Helenam quandam, quam ipse a Tyro ciuitate  
Phœnices quæstuariam cum redemisset, secum circumducebat,  
dicens, hanc esse primam mentis eius conceptionem, matrem  
omnium, per quam in inicio mente concepit Angelos facere &  
Archangelos. Hanc enim Ennoiam exilientem ex eo cognoscen-  
tenu

## DE SIMONE MAGO.

5

scientem quæ vult patet eius, degredi ad inferiora, & generare Angelos & potestates, a quibus & mundum hunc factum dixit. Postquam autem generavit eos, haec detenta est ab ipsis propter inuidiam, quoniam nollent progenies alterius cuiusdam putari esse. Ipsum enim se in totum ignoratum ab ipsis: Ennoiam autem eius detentam ab iis, quæ ab ea emisse essent potestates & Angeli; & omnem contumeliam ab iis passam, vii non recurreret fursum ad suum patrem, usque adeo, ut & in corpore humano includeretur, & per secula veluti de vase in vas transmigraret in altera muliebria corpora. Fuisse autem eam & in illa Helena, propter quam Trojanum contractum est bellum: qua propter & Steſichorū per cornu maledicentem eam, orbatum oculis: post deinde punitam & scribentem eas, quæ vocantur patinodias, in quibus hymnizauit eam, rursus vidisse. Transmigrantem autem eam de corpore in corpus, ex eo & semper contumeliam sustinenter, in nouissimis etiam in fornicē prostituisse: & hanc esse perditam ouem. Quapropter & ipsum venisse, vii eam assumeret primam, & liberaret eam a vinculis, hominibus autem salutem præstaret per suam agnitionem. Cum enim male moderarentur Angeli mundum, quoniam unusquisque eorum concupisceret principatum, ad emendationem venisse rerum & descendisse eum transfiguratum, & assimilatum virtutibus, & potestatibus, & angelis, ut & in hominibus homo appareret ipse, cum non esset homo; & passum autem in Iudea putatum, cum non esset passus. Prophetas autem a mundi fabricatoribus angelis inspiratos dixisse prophetias: quapropter nec ultius curarent eos hi qui in eum & in Helenam ejus spem habent, & ut liberos agere quæ velint: secundum enim ipsius gratiam saluari homines, sed non secundum operas iustas. Nec enim esse naturaliter operationes iustas, sed ex accidenti; quemadmodum posuerunt qui mundum fecerunt Angeli, per huiusmodi præcepta in seruitutem deducentes homines. Quapropter & solui mundum, & liberari eos qui sunt eius, ab impe-

A 3

impe-

imperio eorum, qui mundum fecerant, reprobavit. Igitur horum mystici sacerdotes libidinose quidem viuunt, magias autem perficiunt, quemadmodum potest unusquisque ipsorum. Exorcismis & incantationibus versantur. Amatoria quoque & agogima, & qui dicuntur paredri & oniroponpi, & quæcunque sunt alia perierga apud eos studiose exercentur. Imaginum quoque Simoni habent factam ad figuram Iouis, & Helenæ in figuram Mineruæ, & has adorant: habent quoque & vocabulum a principe impissime sententia Simone, dicti Simoniani, a quibus falso nominis scientia accepit initia, sicut ex ipsis assertionibus eorum adeat discere.

## §. II.

Cum præcipuo hoc omnis antiquitatis loco conferenda sunt sequentia aliorum Scriptorum loca, ut IVSTINI MARTYRIS in *Apologia II.* pro Christianis p. m. 69. & 91. & in *Dialogo cum Tryphone Opp.* p. 349. conf. p. 52. CLEMENTIS ALEXANDRINI *Stromatum L. II.* opp. p. 383. conf. p. 467. TERTVLLIANI Lib. de *Anima c. 34.* EVSEBII H.E. L. II. c. 13. EPIPHANII Pan. Hæret. post N.C.I. alias XXI. p. 55. seqq. AVGVSTINI in Catalogo Hæretorum c. 1. conf. editionem in DANAEL opusculis p. 913. ac THEODORETI Hæret. fabul. L. II. c. 1. alios prætereo. Operæ erit pretium ex hisce testimoniis omnium antiquissimum IVSTINI MART. priorem locum ex p. 69. citatum adscribere: *Cum posl adscensionem Christi in celum iidem demones in medium produxerint mortales, tantum abest, ut persecutione illi a vobis sint experiti, ut honoribus quoque digni sint habiti.* Simon nimirum quidam Samaritanus in vico, cui Gibon nomen est, natus, qui sub Claudio Cæsare efficaciam dæmonum arte in imperiali urbe vixisse Roma, propter magicas, quas exhibuit, virtutes, Deus habitus est, & statua apud vos veluti Deus honoratus: quæ statua in amne Tiberi inter duos pontes est erecta, Latinambanc habens inscriptionem, SIMONI DEO SANCTO: ac

Sama-

## DE SIMONE MAGO.

7

Samaritani prope omnes, ex aliis etiam nationibus per paucis,  
illum quasi primum Deum esse confidentes, adorant quoque:  
& Helenam quandam profecionis eius eo tempore comitem,  
quæ prius pudicitiam in propatulo habuerat, & in lupanari  
profiterat, principem ab illo (evvoiaw) notionem factam esse nar-  
rant.

### §. III.

Tota hæc de Simone & Simonianis disquisitio reddit  
ad præcipua hæc capita biblica & ecclesiastica: Biblica, quæ  
innouerunt e narratione Lucæ Act. VIII, vti sunt: *impos-  
turae* cum effectu admirationis, ante baptismum suscep-  
tum, *baptismus ipse, sacrilegium, poenitentia simulatio*. Ecclesias-  
tica, quæ scriptores ecclesiastici commemorant, sunt: *Con-  
iux Helena*, seu Selene, portenta & βδελύγματα doctrinarum,  
*certamen* cum Apostolo Petro, *statua Romæ erecta, seclau-  
tores: epicrisis*, utrum Simon fuerit hereticus, nec ne? Ad  
hæc enim momenta commode referri possunt omnia. Quæ  
partitio vti fundamentum habet in re ipsa, sic lectorum me-  
moriæ, immo ipsi etiam judicio, non parum, vt arbitrör, in-  
seruit.

### §. IV.

Ad momenta priora, seu *biblica*, & in iis speciatim ad  
*imposturas cum admiratione*, & tantum non cum *adoratione*  
*exceptas*, quod attinet, de iis Act. VIII, 9. 10. 11, hæc habet  
Lucas: *Vir autem quidam nomine Simon, antea in urbe illa (Sa-  
maritæ) exercuerat artem magicam, & gentem Samariæ in stu-  
porem conieceret, dicens, se esse quempiam magnum. Cui atten-  
debant omnes a minimo ad maximum, dicentes: ille est poten-  
tia illa Dei magna. Attendebant autem ei propterea, quod  
a multo tempore magicis artibus eos dementauerat. Vbi no-  
tantur momenta hæc trii: a) *Impostura ipsa, artibus magicis*  
*exercita, cuius qualis fuerit ratio, definitu est difficillimum.*  
Veri autem nominis miracula haud fuisse ipsius effecta, fa-  
cile colligitur e conditione personæ, & ex verbo μαγίστρος,  
quod*

quod de ostentatis Simonis Lucas adhibet. b) *Iactantia* præstantiae ac dignitatis, dignitate quavis prophetica longe maioris, h. e. talis, quæ astu satanæ in præiudicium ipsius MESSIAE, iam inde a tempore Ioannis genti Iudaicæ & Samaritanæ prædicati, cedere debebat, at detecta prostrataque in impostoris confusionem & in Messiani nominis gloriam cessit. c) *Applausus imperiæ & credulæ plebis,* vario falso creditæ θαυματογένεια glaucomate circumactæ; qualem effectum etiam multas imposturas ægytarum ecclesiasticorum sub papatu habuisse, est notissimum.

## §. V.

*Catastrophe* huius status non minus erat admiranda. Etenim Samaritanis Philippi euangelistæ ministerio in magna frequentia ad Christum conuersis etiam Simon concepta fide aliqua Christo, *suscipiendo baptismum*, nomen dedit, veri nominis miracula a Philippo edita admiratus; utpote ad quæ glaucomata sua meram esse noctem, deprehendebat, sic per virtutem Christi exarmatus. v. 12. 13. Quod si quæras, cuius indolis fuerit Simonis poenitentia ac fides in Christum? respondeo: eam nec *simulatam* plane fuisse, nec ramentum *genuinam*. Simulatam fuisse ut credamus, non permittit adserendum Lucæ, qui expresse dicit, *simonem quoque credidisse*. Nec probabile est, Philippum pro charismatum suorum mensura non cognitum ac detectum fuisse hypocrisin, si merahæc fuisse. Videtur ergo Simon omnino bonos acceptissimos & principio gratiæ, & cum his ipsis non sine contritione aliqua haud exiguum veræ fidei scintillam concepisse, eumque sic effectum expetiuisse baptismum. Non vero satis sinceram fuisse eius poenitentiam, nec penetrasse ad intimam ac solidam animi mutationem, omnisque mali propositi eiurationem, documento est eius *sacrilegium*, in affectata charismatum nundinatione positum, & ut *tertium momentum* hic notandum. Ad tantam enim vesaniam is non videtur illico prolapsurus fuisse e statu gratiæ fidelius admisso.

## I MD E SIMONE MAGO.

missæ confirmato: sed recruduit vulnus, quod non recte expurgatum sanatumque fuerat, referuato nefario impietas semine in detestabilem segetem erumpente Act. VIII, 18. 19. Quam intentiorem animi malignitatem cum proderet, Petrus acriori elenchi lixivio impostorem perfundebat, subiuncta seria ad panneniam exhortatione v. 20-23. Istam vero Simonem *simulasse* potius, quam vere egisse, vita eius consequens abunde testata est. Nec ipsa eius precatio, ad Petrum & Ioannem, pro intercessione apud Deum, directa, caret *ad Dicac* indicio; siquidem sacrilegii sui tentati veniam potius ad deprecationem Apostolorum, quam ad suam postnitentiam refert. Id quod *quarto loco hic notandum est.*

### §. VI.

Inter momenta vitæ ea, quæ a scriptoribus ecclesiasticis memorantur, primo loco pono coniugem *Helenam, IRENAEO & AVGUSTINO Selenem*, ipsum propudiū. Hanc enim secundum TERTVLLIANVM de anima c. 34. eadem pecunia, qua Spiritum S. licitatus fuerat, tanquam scortum e loco publice libidinis redemisse dicitur. De hoc carcinomate suo quæ iactauerit impostor, supra vidimus in loco IRENAEI. Eandem Helenam Simonianos in Mineruæ figuræ adorasse, iidem auctores commemorant. Si verum est, quod de prelio pro Helena ista soluto dicitur, prostibulum illud nondum habuit prioribus imposturæ sue temporibus, sed post baptismum demum adsumsit, cum eoque in pristinum suum coeni volutabrum adeo fuit immersus, ut in ipso procul dubio omnes sapientes iustam spretæ diuinæ gratiæ vindictam, e iusta Dei desertione conspicuam, cum horrore cernerent.

### §. VII.

Quemadmodum vero prostibulum publicum dignum patella sua operculum existimauit Simon: sic alienæ quoque turpitudinis adiutor fuit; vt pote qui Felici, Iudeæ procuratori, auctor exstitit, vt Druillam, a iusto marito refugientem

B

tem

tem, per adulterium sibi adiungeret, uti pe:hibet IOSEPHVS Antiquit. L. XX. c. 5. Cuius verba ipsa huc transscribo; *Felix cum esset Iudeæ procurator visa hac (Druſilla, Agrippæ iunioris forore, Axizo Emeſenorum regi circumſo in matrimonium collocata) foeminarum omnium pulcherrima, amore eius capta, Simonem amicum suum, Iudeum, genero Cyprium, pro magno ſe gerentem, ad eam misit, qui mulierem ſolicitareret, ut reliquo priore marito ipſi nuberet, beatam fore pollicens, ſi non fastidiret eum. Illa male conſulta volens evadere moleſtationes fororis Bernices, inuidentis ſibi formæ præcellentiam, conſenſit, calcata religione patriâ. Felici nubere: natoque ex hoc marito filio nomen Agrippæ imposuit: qui iam adulterus quomodo cum uxore perierit Vesuviani clade incendi, tempore Titi Cæſaris, poſtea dicemus. Sunt quidem, qui existimant, hunc Simonem a Simone mago diuersum, ea præcipue moti ratione, quod magus fuerit Samaritanus, ille autem, cuius mentionem IOSEPHVS facit, Iudeus Cyprus genere. Sed facilis hic eſt conciliatio. Potuit enim gente eſſe Cyprus, qui commoratione fuit Samaritanus, & videtur existimasse, gentem Samaritanam deceptu eſſe faciliorem, quam Iudaicam, ideoque non hanc, ſed illam, adiisse: conf. LEMOYNE Prolegom. in Varia ſat, vbi arbitratur, Simonem, qui a nonnullis Gistæus vocetur, rectius vocandum eſſe Kitthæum, non a Samariæ, ſed a Cypri quodam oppido.*

## §. IX.

*Doctrinarum ßdeelýgmara præcipua haec fuerunt: in libidibrium mysterii de sacroſancta Trinitate venditauit ſe pro eminentiſſima virtute, quæ ſit ipſe Pater, qui tanquam Pater in monte Sinai legem promulgauerit; tempore vero Tibérii in perſona Filii putative apparuerit; & poſtea ſub perſona Spiritus Sancti in Apoſtolos & ad reliquas gentes venetit. Deliria reliqua de Helena, & de creatione angelorum, paſſiva & activa, nolo hic ex IRENAEO aliisque repeterere.*

Præter-

DE SIMONE MAGO.

ii

Præterea peccati originem Deo adscripsit, duplicum Deum fingens. Quem errorem, a magis gentium quarundam orientalium acceptum, Simon IRENAEO L. I. c. 28. ad Cerdonem ac Marcionem transmisisse dicitur. Conf. EPIPHAN. hæref. XXI. n. 4. vbi commemorat, nugatum esse Simonem, mundum a malignis potestatibus, in quas malum suum principium distribuisse videtur, esse conditum, & ab iisdem etiam legem profectam & prophetas. Fertur etiam negasse *resurrectionem mortuorum*, *idolatriam* habuisse pro re indifferenti, & sectatoribus suis promiscue omnium scelerum & flagitorum *licentiam* concessisse; & nihilominus minus sui & Helenæ suæ adorationem postulasse & impenrasse. De modo captandi applausus apud sectatores ita censet ORIGENES contra Celsum L. VI. Simon, quo plures sibi parares discipulos, *fusculit* e sua doctrina mortis periculum, quod Christiani docebantur contemnere, docens, indifferentem esse idolatriam. Vnde nec illa persecutio contra Simonianos unquam exorta est. Idem vero ibidem de Simonis sectatoribus negat, sua etate uspiam gentium Simonianos existisse. Taceo alia nugamenta & deliria, quæ cum modo recensitis partim semet ipsa destruunt, nec in diversorum auctorum narratione fatis coherent. Istud vero hic prætermittendum est neutquam, quod IRENAEO, & EPIPHANIO testibus, abominanda hæc deliramenta sub singularis mysteriis & γνῶσεως, cognitionis, titulo fuerint venditata. Quare idem auctores memorant sectarios, hosce in sic dictos Gnosticos, propuidissimum genus hominum, & seculi II. scandala præcipua, abiisse.

S. IX.

Vtrum Simon Romam venerit, nunc non disquiror, multo minus, eo ipsum venisse, nego. Hæc vero seculi primi fabulis merito sunt annumeranda, quæ de utriusque Simonis, Petri & Magi, congresu & certamine Romano, editisque miraculis, speciatim de Magi, cum sanctis, qui permortalita-

B 2

tem.

rem, seu mortem, ut pote de se negatam, nunquam dissoluendus sit, nomen adfectasset, volatu & præcipiti lapsu traduntur. Resoluuntur enim omnia in fidem aliquot scriptorum pseudepigraphorum, præcipue *Pseudo-Clementis*, in sic dictis Constitutionibus Apostolicis L. VI. c. 9, quos nonnulli quarti & sequentium seculorum scriptores non sine virtio credulitatis secuti sunt. Ad fabulam enim recidere hæc omnia, comprobant silentium scriptorum antiquiorum, IVSTINI, IRENAEI, TERTULLIANI, & EVSEBII: qui tamen Simonis mentionem haud prætermiserunt, nec rem tanti momenti, si ipsis fuisse cognita & pro vera habita, silentio fuisse præmissum.

## §. X.

Nec multo melioris notæ esse videntur, quæ IVSTINVS MARTYR in secunda Apologia, & hunc secuti alii, de Romanæ Simonis statua memorie reliquerunt; scilicet hunc impostorem a Romanis, tanquam deum aliquem, statua in amne Tiberi inter duos pontes erecta, fuisse honoratum. Etsi enim Romani Græcis, quos imitati fuerunt, idolomania parum cedebant; tamen probabile non est, ipsos eo processisse vesania, ut agyrta flagitosissimo, qui iam tum ante suum ad Romanos aduentum his non poruit non e fama pariter & infamia publica innotescere, honoris, & quidem diuini, causâ statuam exercent, inscriptam: *Simoni Deo Sancto*. Certe fabularum vna alteram destruit, ista de lapsu per aërem volantis præcipiti ac ignominiosissimo hanc de statua. Et si vel maxime ante tragicum hunc rerum Simonis exitum statua ista fuisset posita: tamen ille ipse isti statuam nequaquam relicturus fuisset integrum. Meum hic facio iudicium VALESI, qui in notis ad EVSEB. L. II. c. 13. Iam dudum, inquit, viri docti obseruarunt, imperitia Latinæ lingue lapsum esse lusitum, qui statuam Simoni Sango posuam, Simoni mago sacramen tuisse putaverit, vicinitate nominum decepimus. Certe statua illa, quam in insu-

insula Tiberina videt. Iustinus, non ita dudum effossa est cum ea inscriptione, quam dixi, SEMONI SANGO DEO FIDIO. Sancus Deus erat apud Sabinos, qui pactis & faderibus praerat, a sanciendo dictus. Vnde etiam deus filius vocabatur a fide. Quin etiam per eum iuvare soliti erant Romanii. Effellerunt Iustini Samaritanus quidam, qui statuam islam Simoni Samaritano positam fuisse ei persuaserunt, &c. Conf. VOSSIUS de Idololatria L. I. c. 12. & SPANHEMIVS de Petri in urbem Romanam profect. p. 149. seqq. Mirum vero est, has ipsas fabulas incrustari ab HVGONE GROTIO, & hunc cum HAMMONDO locum 2. Thess. II 8. sq. qui de antichristo & eius reuelatione agit, de Simone mago & Gnosticis, sectatoribus eius, expondere. Quam pseudopoeia detectam pluribus castigauit SAMVEL MARESIVS in Concordia discordie & Antichristo reuelato, & HENRICVS MORVS in Mysterio iniquitar. Part. II. L. II. c. 19. seqq. Conf. CALOVIVS in Bibl. illustrat. ad 2 Thess. II.

## §. XI.

Hoc de Simone ipso. Simonianorum praecepsus hoc tempore fuit MENANDER Samaritanus, qui magistri sui impietatem ac ~~regeatoroyav~~ in omnibus imitatus est: immo hic easdem in eo etiam superauit, quod, cum Simon sibi tantum immortalitatem arrogaret, Menander eam quoque sectatoribus suis promitteret, afferens, se a prima virtute ad salutem humani generis esse missum, eamque cum immortalitate consequi posse neminem, nisi in nomine suo baptizatum. Quod doctrinæ portentum TERTVLLIANVS L. de Anima c. 5. hac excipit censura: Publica totius generis sententia mortem naturæ debitum pronuntiamus. Hoc stipula est Dei vox, hoc spopondit omne, quod nascitur, vi iam hinc non Epicuri stupor suffundatur, negantis, debitum illud ad nos perire, sed haereticimagi, Menandri Samaritani, furor conspuatur, dicentis, mortem ad suos non modo non perire, verum nec peruenire. In hoc

DISPVT. IV. MEMBRVM I.

14

*hoc scilicet se a supraemis & arcana potestate legatum, ut immortales & incorruptibiles & statim resurrectionis compotes fiant, qui baptismus eius induerint.* De Menandro hoc præter TERTVLLIANVM ex veteribus consuluntur IV-STINVS Apolog. II. IRENAEV S. L. II. c. 21. EVSEBIVS H. E. L. III. c. 26. EPIPHANIVS Pan. Hæref. XXI. THEODORETUS Hæref. fab. LI. c. 2. AVGVSTINV S. Hæref. 2.

§. XII.

Restat *epicrisis* de Simone & Menandro, aliisque Simonianis, communis scriptorum, veterum & recentiorum, præiudicio opponenda, & aliquot aphorismis, breuiter illustrandis, proponenda:

I. *Simon magus non fuit hereticus proprie dictus.* Ut enim aliquis sit hereticus, aliud est, quod supponitur; aliud, quod ad heretos constitutionem requiritur. *Supponitur*, vt aliquis Christi ἐνσημώνεως, ad corrupti generis humani restitutionem & salutem directe, œconomiam, a qua Christiani dicimus, vna cum ordine salutis non neget, sed admittat; atque ita Christianus sit nominetenus, & ad ecclesiam Christi visibilem pro confessione sua pertinet; et si eius potius sit scandalum, immo carcinoma, quam genuinum membrum. *Requiritur* vero, secundum hoc suppositum, ad heretos naturam id præcipue, vt admissa ista ἐνσημώνεως œconomia via cum salutis ordine in primariis suis momentis, ad fidei fundamentum, & salutis ordinem pertinentibus, corrumpat, & hac corruptione accensioni fidei & instauratiōni imaginis diuinæ obstet, & hac ratione spiritualis & æternæ salutis iacturam inducat. Vide *Dissert.* I. p. 16. seqq. Neutrū vero, sive nec suppositum illud, nec requisitum heretos, deprehendimus in Simone & Simonianis. Etenim pro admittenda ἐνσημώνεως Christi œconomia, & pro ordine salutis inde derivando, Simon, & illam & hunc negans, semet ipsum venditauit pro Mes-

lia.

## DE SIMONE MAGO.

17

zia, seu generis humani instauratore, & ex hoc deliramentorum suorum centro eiusmodi ordinem ad salutem derivauit, quo ipse orcus nihil foedius potuisset exhalare. Atque ita ne nominetenus quidem, seu externa confessione, ad ecclesiam Christianam societatem externam pertinuit Simon cum Menandro aliisque suis aescis. Quare qui cum his illum haereticis annumerat, committit iudicium, quod ut ab historia & ipsis rei veritate alienum est, sic ipsi ecclesiae Christi in ignominiam cedit. Neque solus baptifimus efficere potuit, ut Simon Christianis annumeraretur. Quod si enim vera sunt, quae de ipso circumferuntur, & gesta, aut continuata fuerunt etiam post suscepsum baptismum, iis ipsis vel ipsum nomen Christianum rursus eiusasse dicendus est.

2. *Simon magus nec haeresarcha, seu pater & princeps haereticorum sui temporis & sequentium etatum fuit.* Cuius axiomaticis mei ratio ex axiomate antecedenti patet. Qui enim ne haeticus quidem fuit, quomodo esse potuit haereticorum patriarcha? Et hoc est, quod comprobat heresiologia biblica, supra e monumentis ipsorum Apostolorum deducta. Variæ ibi recensitæ sunt haereses, sed nulla, quæ in momentis suis præcipuis convenientiam habuerit cum Simonianis deliriis, tantum abest, ut his originem suam debeat. Nec huic adserto meo obstat quedam communio, quæ inter Simonianos & nonnullos pseudodidascalos respectu errorum secundiorum, & in primis respectu propugnacæ vitæ, intercessit; siquidem, si hæc ipsa Simonianos haeticos per se constitueret, magna ipsius idolatriæ paganismi pars fuisset & adhuc esset Simoniana & haeretica.

3. *Simon magus non fuit Christianus, sed e Samaritano, seu Iudeo, factus manifestus religionis Christianæ empæcta & flagitosus impostor, seu eiusmodi Satane instrumentum, quo is in ludibrium religionis Christianæ usus est.* Quem in finem præcipue nonnulla de mysterio Trinitatis, Patris Filii, &

Spi-

Spiritus Sancti, e religionis Iudaicæ ac christianæ principiis  
 mutuata sunt, & ita quidem, vt hac ratione ipsum illud sa-  
 crosanctum mysterium christiani nominis hostium ludibrio  
 exponeretur. Eadem est ratio Simonianorum, Menandri  
 & aliorum. Quis vero flagitiosos agyratas & impostores,  
 quando nonnullas locutiones e Christianismo desumptas,  
 aut aliquot eiusdem ritus, sed alienissimum plane in finem,  
 modoque alienissimo, adhibent, ipsum vero christianorum  
 nomen detrectant, & ab externa quoque christianismi  
 confessione abhorrent, pro hæreticis habebit, & ecclesiæ  
 christianæ visibili annumerabit? Et quis vnquam hæreti-  
 cos confinxit extra ecclesiam visibilem & externam christia-  
 ni nominis confessionem? Vtrum vero omnia ita sese habe-  
 ant, quæ de Simone & Simonianis memorie prodita sunt,  
 non immerito aliquis dubitare posset. Quædam enim fi-  
 dem videntur superare v.g. quod Menander non solum sibi  
 ipsi vindicauerit immortalitatem respectu ipsius corporis,  
 sed sectatoribus quoque suis eandem promiserit. Tantum  
 enim delirium ne in ægyptam quidem perditissimum, cui ad-  
 huc sensus communis superstes fuit, cadere potuit. Nam  
 nosse potuit, se eo ipso arguento, quo discipulos allicere  
 voluisse, per subitaneam mortis experientiam disiecto,  
 sectatores omnes a se dispersum fuisse. Quod si vero  
 tantum rationis non superfuit his impostoribus, oportet  
*pravias* ipsorum fuisse extremam & omnium oculis exposi-  
 tam. Quis vero hominem maniacum, seu eo vsque insani-  
 entem, vt sensus quoque communis naufragium omnium  
 oculis ingesserit, fuisse sectaturus? Ut nihil nunc repeatam  
 de fabulis iam supra explosis. Hæc vero nequaquam eum  
 dicuntur in finem, ac si Simoni eiusque sectatoribus vel  
 leuissimum patrocinium paretur, (id quod contra non-  
 nullorum morsus hic noto) quomodo enim is alicui dici  
 potest patrocinari, qui demonstrat, ipsum quoquis hære-  
 tico fuisse deteriorem? sed historicæ veritatis caussa di-  
 cuntur,

cuntur, ne cœco assensu a scriptorum ecclesiasticorum ad-  
sertis dependeamus.

4. *Simonia a Simone mago sic dicta, seu istud crimen, quo munera ecclesiastica pro venalibus habentur, quemadmodum Simon charismatum dispensationem pro venali habebat & licet citabatur, itemque nundinatio quædam factitatur, quo quis hereticorum flagitio est pestilentior, et si speciosor.* Ea enim ecclesia Christi mercenariis, immo lupis rapacibus, replete-  
tur ac vastatur. Et eiusmodi Simonianos luporum patro-  
nos, ipsos ἀγχιλθρες, non solum papatum habere, sed passim etiam ecclesiæ euangelicæ præesse, quis prudens sine horrore & gemitu non passim audit & obseruat? Certe hi *Simonis* discipuli ac filii patre suo adhuc sunt deteriores, quia, quæ is emere volebat, hi vendunt, nec pro hereticis, sed pro hereticorum malleis, certe genuinis illibatae orthodoxiæ defensoribus haberri volunt. Sapientibus sat!

M E M B R V M II.  
DE  
E B I O N A E I S.

Σύνοψις.

**I**ndicantur huius disquisitionis fo-  
tes. §. I.

Et probatur, Ebionem sc̄læ au-  
gorem exstisisse nullum. §. II.

Ebionæos vero sic diuos esse chri-  
stianos Hierosolymitanos ob egesta-  
tem, §. III.

*Id quod pluribus probatur, §. IV.*

*Et quidem contra Epiphanium ex  
ipso Epiphanio. §. V. VI. VII. VIII.*

*Idem confirmatur e testimonio Q-  
rigenis. §. IX.*

§. I.

**D**E Ebionæis, seu Ebionitis, antiquissimum exhibet testi-  
monium IRENÆVS L. I. c. 26, *Qui dicuntur  
Ebionis*

*Ebionæi, consentiunt quidem, mundum a Deo factum, ea autem, quæ sunt erga Dominum, non similiter, (al. consimiliter) ut Cerinthos & Carpocrates, opinantur. Solo autem eo, quod est secundum Mathæum, euangelio vtuntur, & Apostolum Paulum recusant, apostolatum eum legis dicentes. Quæ autem sunt prophætica, curiosius exponere nituntur, & circumciduntur ac perseverant in his consuetudinibus, quæ sunt secundum legem, & Iudaico charætere vita, vti & Hierosolymam adorent, quasi domus sit Dei. Conf. L. III, c. II. L. IV, c. 59. L. V, c. 1. It. TERTVLLIANVS, de carne Christi c. 14. de Præscript. aduersus Hæret. c. 33 ORIGENES L. V. contra Celsum. EVSEBIVS H. E. L. III, c. 27. EPIPHANIUS Hæret. XXX. AVGVSTINVS Hæret. X. THEODORET. Hæret. fabul. L. II, c. 1. alii.*

S. II.

Disquiritur inter eruditos, vtrum Ebionitæ ab aucto-  
re aliquo certo, cuius nomen fuerit *Ebion*, an vero a notio-  
ne huius vocis אַבְיוֹן Hebrew, quæ pauperem notat,  
sic appellati sint, aliis hoc, aliis istud affirmantibus. Qui  
Ebionem aliquem pro sectæ auctore habent, prouocant ad  
auctoritatem EPIPHANII & HIERONYMI, qui huius  
fuerunt sententiae. Qui vero alteram eligunt sententiam,  
nituntur auctoritate IRENAEI & aliorum, EPIPHANIO  
antiquorum scriptorum, qui, Ebionis, tanquam auctoris,  
nulla plane mentione facta, de solis agunt *Ebionis*. Et  
haec sententia isti mihi quidein omnino præferenda esse  
videtur. Etenim scriptores isti antiquiores procul dubio  
certiorem huius rei notitiam habuerunt. Nec villa subesse  
poterat caussa, cur, cum aliorum hæreticorum, ab auctori-  
bus dictorum, duces nomine suo proprio appellarent, fo-  
lius Ebionis nomen non exprimerent. Quid? quod EV-  
SEBIVS H. E. L. III, c. 27. ad antiquiores prouocans, ap-  
pellatiuam huius nominis rationem a paupertate, seu tenui-  
tate, desumptam tradit; *Alios, inquiens, quos ab amore*

*Coris*

Christi malignus dæmon dimouere non poterat, alia ex parte infirmos esse deprehendens, in ditionem suam rededit. Hi ab antiquis cognominati sunt Ebionæi, Ἐβιωναῖς οὐαὶ ταπεινῶς Τὰ πε-  
ρὶ τῆς χριστοῦ δοξάζοντες, quippe qui humiliiter admodum & abie-  
cte de Christo sentirent. Eum enim simplicem ac vulgarem,  
nec aliud, quam hominem esse censemabant. n. τ. λ. Cel. quidem  
ITTIGIVS Dissert. de Hæresiarchis Sect. I. cap. VI. §. 4.  
aduersus RICHARDVM SIMONIVM & alios conten-  
dit, exstisit reuera Ebionem aliquem hæresiarcham,  
quando inter alia de altera sententia ait: *Cui sententiae re-  
pugnant, quotquot e scriptoribus ecclesiasticis Ebionem, cum  
aliis hæresiarcharum individuis coniungunt, aut eius patriam,  
discipulos, aliaque buiusmodi ad vitæ curriculum spectantia e-  
narrant, quos inter EPIPHANIVS hoc malo omnino nomen  
Ebioni a parentibus inditum commemorat.* Ego tamen in E-  
piphanio hæc deprehendo parcus, partim etiam plane  
non, tangi. Ethic ipse est, qui pro sua credulitate & in-  
consulta coniectura primus aliis hunc errorem praivit.  
Video vero doctissimum ITTIGIVM in Dissert. appen-  
dice p. 17. 18. sententiae suæ nequaquam inhærcere, sed  
hoc epiphonemate mentem suam declarare: *Qua de re  
cum nemine magnopere contendam, cum Epiphanii autorita-  
tem minime irrefragibilem agnoscam.*

## §. III.

Iam si Ebionæi ita dicti sunt non ab auctore aliquo, sed a  
re ipsa, queritur, quænam illa res sit? Paupertatem esse, &  
quidem tales, qua de Christo nimis humiliiter & abiecte sen-  
tentia, eum pro nudo tantum homine habendo, tradit EV-  
SEBIVS l.c. Sed haec nominis istius ratio, ne quid diffi-  
miliem, mihi non placet. Alia enim est notio pauperatis,  
seu indigentie & mendicitatis; alia notio sententiae de Christi  
natura tenuis & abiecta.

## §. IV.

Dicam itaque, quod mihi videtur res esse, certis rem omnem aphorismis comprehensurus:

1. Ecclesia Hierosolymitana post bonorum communionem, optimo scopo introductam, in rebus oeconomicis ad magnam redacta erat paupertatem, adeo, vt Paulus ipsorum inopiam ecclesiarum per Asiam & Græciam subsidiis operose sublevatum iret, vt ex eius epistolis notissimum est.

2. Quis vero dubitaret, Iudæos, acerrimos Christiani nominis osores, hanc ipsam occasionem captasse, & paupertatem christianis contemtus ergo in cprobrium vertisse?

3. Quod si supponas, (non poteris vero non supponere) nullam exprobrationi nomen fuisse aptius, quam si Christianos contemtum vocarent **אֲבִוָנֵי** Abionæos, pauperes, indigentes, & quasi mendicos, die Armen, die Bettler, das Bettel-Wolfs.

4. Et hæc ipsa Christianorum ex Iudeis neophytorum indigentia per excidium Hierosolymitanum procul dubio aucta fuit, cum, diuino oraculo moniti, Hierosolyma & Iudea relæta, in Peræam, speciatim Pellam, & in eius viciniam commigrarent. Siquidem emigratio ista fieri haud potuit sine magna bonorum residuorum iactura.

5. Atque ita Iudeis malevolis noua data fuit occasio Christianis fortem suam in externis abiectissimam exprobrandi, seu eos appellandi **אֲבִוָנֵים** Abionæos, seu Ebionæos.

6. Hinc liquet, nomine hoc primitus non appellatos esse hereticos a genuinis Christianis, sed genuinos Christianos a Iudeis empæctis.

7. Quia vero inter ipsos Christianos istos exorti sunt nonnulli, immo haud pauci, qui, prepostero Iudaismi amore capti, hunc ipsum Iudaismum Christianismo ita admiscebant, vt huius divitias omnes, seu dotes ac virtutes præciatas, ipsamque Christi diuinitatem abnegarent, nomen Abi-

onæo-

ioneorum, quod a Iudeis, tanquam scomma, in christianos iaciebatur, videtur a christianis usurpari coepisse de fratribus eiusmodi ψευδωνύμοις, notione paupertatis corporalis ad paupertatem spiritualem translata.

8. Et isti fratres ψευδωνύμοι fuerunt illi ipsi Cerinthi sectatores, de quibus Dissertatione III. actum est.

9. Quæcum ita sint, ex una parte concidit commentum non solum de Ebione, tanquam hæresiarcha aliquo, sed etiam de peculiari Ebionæorum secta, & manifestum fit, hæreticorum primi seculi catalogum hisce nominibus sine fundamento fuisse auctum; ex altera tamen simul adparet ratio, cur IRENAEVS & alii priorum seculorum scriptores Ebionæos hereticorum loco habuerint; vt pote quorum nomine revera Cerinthianos intellexerint; minus tamen caute & prudenter; cum ea, quæ maiores de Cerinthianis & Ebionæis συνονύμως tradiderant, aucto hæreticorum indice de diuersis sectis acceperint.

### §. V.

Hæc nouem rei historicæ momenta, ita, quod spero, comparata sunt, vt non dubitem, eorum serie recte considerata assensum me apud prudentem lectorem esse obtenturum. Qui vt reddatur eo firmior, ex ipsis antiquitatis ecclesiasticæ monumentis manifesta huius sententiæ meæ argumenta, certe vestigia, in medium proferam. Et primo quidem obseruari velim hæc ipsius EPIPHANII Hæres. XXX. n. 17. verba de Ebionæis: *Isti de eare gloriantur, seque mendicos prædicant, quod Apostolorum, inquit, tempore mos esset bona sua distrahere, & ab illorum pedes abiicere. Itaque se illorum exemplo ad mendicitatem redigi, ac bonis omnibus abdicare, proindeque passim mendicos appellari. Sed hoc ab illis ex ingenio confidum est. Nam Elioni proprium hoc erat nomen &c.*

## §. VI.

Hunc locum, ut aliquot illustrem, aut emendem, obseruationibus, res ipsa exigit.

1. Non dissimulat Epiphanius, rationem nominis *Ebionæ* appellatiuam, ab *indigentia* desumptam, antiquiorum traditione ad se esse perlataam.

2. Nec dissimulat, denominationem hanc appellatiuam factam esse per contemptum, eamque desumptam esse ab *indigentia* illa ecclesiæ Hierosolymitanæ iam aliquoties commemorata.

3. Quod vero Ebionæ ad exemplum christianorum Hierosolymitanorum, tanquam ab his diuersi, bonis suis fe abdicauerint, & ad voluntariam mendicitatem redacti, & de ea gloriati, mendicos se prædicauerint, nullum plane habet fundamentum in re ipsa & antiquiorum hæresiologia. Vti enim in hac altum de eo est silentium; sic ab hæreticorum Cerinthiani generis, ad quod Ebionæ quidam merito referuntur, indole aliena fuit voluntaria ista rerum externarum abnegatio, quæ, exempli Hierosolymitani imitationem præ se ferens, ad ipsam mendicitatem usque progressa sit.

4. Quando Epiphanius assertis suis hoc subiungit epiphonema: *Sed hoc ab illis ex ingenio confitum est*, ipse suam fictionem prodit. Quomodo enim Ebionæ in rerum omnium possessione & affluentia voluntariam mendicitatem ita omnium oculis potuissent ingerere, vt inde mendici appellarerent? Et qua quo veri specie illis, qui nouerant, se a nomine ducis & magistri sui, Ebionis, Ebionæos dici, tribui potest, quod, dissimulata illa denominatione, a falso iactata voluntaria mendicitate appellari maluerint? in primitis si consideremus, hanc appellationem minus fuisse honorificam, & studium eam ab aliis obtinendi futurum fuisse frustraneum, cum desuerit eius fundatum, mendicitas,

§. Quæ

5. Quæ cum ita sint, verba ista Epiphanii posteriora, saluis quibusdam huius viri meritis, omni iure ita inuerto: *Sed hoc ab Epiphano ex ingenio consilium est.* Nam quia is nomen appellatiuum Ebioni alicui vindicare voluit, inconsultæ coniecturæ imprudentius indulgens, tanquam proprium suum, hanc sibi fingendi licentiam sumvit, vera nominis denominatione obscurata, & notione illa, quam de illa ex antiquitate adserit, in alienum plane sensum, qui uocat suam etiam iustæ orationis defectu prodit, translata.

### §. VII.

Hæc de loco Epiphanii vno. Nec prætereundus hic est alter ille, qui in eadem Ebionæorum descriptione n. 11. ita se habet: *Sed huius factionis exordium post Hierosolymitanæ urbis excidium cœpit.* Quo tempore christiani omnes, cum in Peræa degenerent, ac in urbe Pella potissimum, quæ in Decapolitana provincia est, cuius extat in Evangelio mentio, prope Batanæam ac Basanitidem: cum istic, inquam, domiciliū collocassent, hinc Ebioni data est propagandi erroris occasio. Quæ in pago quodam Cocabe in regione Carninorum, Arnoni & Astorotharum & Basanitidis tractu habitare cœpit, os in iudea ea est quæas γνῶσις περιέχει quæmadmodum vetus ad nos usque fama pertulit. Inae igitur pessimæ prædicandi dogmatis initium sumvit, unde & impios Nazarenos cœpisse docuimus. Hi enim inter se coniuncti improbitatem ac nequitiam communiterunt &c.

### §. VIII.

Ad quem locum sequentia velim obseruari:

1. Quandoquidem Ebion aliquis hæresiarcha nunquam fuit in rerum natura; vt paulo ante demonstratum est; sic etiam per se concidit commentum illud de habitationis & disseminati erroris loco, quod Epiphanius, pro suo credulitatis vitio, & pro sua ad coniecturas, pro ipsis thesibus venditandas, proclivitate, e nescio quo incerto rumusculo ad se dela-

delatum arripuit, & quidem, vt probable est, ne ipsius quidem traditionis istius sensu recte percepto.

2. E contrario autem hic ipse locus, quo Epiphanius Ebionem suum ad christianos Pellenses refert, confirmat sententiam meam de scommate mendicitatis, ab ipsis Iudeis in veri nominis christianos, qui non sine magno bonorum suorum naufragio Hierosolymis & ex Iudea in Peræam, præcipue Pellam, diuinitus moniti, commigrauerant, acerbe coniecto.

3. Nec video nexum logicum inter hoc antecedens: *Christiani Hierosolyma profugi domicilium suum in urbe Pella collocarunt*: & istud confequens: Ergo inde Ebioni propagandi erroris occasio data est. Nec enim auctor propagationis huius tempus, sed occasionem & prætextum, voluit notare. Dicit enim γεγονεν ἐν τέταρτῳ πρόφασις τῷ εβίωνι.

4. Quæ episcopus noster Cyprus de Nazarenis addit, eiusdem sunt commatis, seu plane commentitia, vt mox videbimus.

### §. IX.

Quæ de vero Ebionæorum statu supra proposui, & haec tenus ex ipso Epiphanio contra eundem illustravi, egregie confirmat ORIGENES, isto multo antiquior L.II. aduersus Celsum, quando: *Considerandum igitur, inquit, quid dicat ad fideles conuersos ex Iudaismo -- ne hoc quidem intellecto, quod Iudei, qui in Iesum crediderunt, non desciuerunt a patriis legibus: vivunt enim iuxta eas, cognomines juxta expectationem paupertatis legum facti* (ἐπώνυμοι τῆς κατὰ τὴν ἐνδοχὴν πλοκίας τὰ νόμου γεγενημένοι.) Nam Ebion pauper lingua Iudaica vocatur, & Ebionæ dicuntur a ceteris Iudeis, qui Iesum pro Christo receperunt. Quin & Petrus videtur longo tempore iuxta Moysis legem obseruasse ritus Iudaicos. n. r. λ. Ex hoc loco hæc resultant consecutaria:

1. Ebionæos non fuisse hæreticos, sed christianos.
2. Christianos sic contemnit vocatos esse a Iudeis.

3. Chri-

3. Christianos istos e Iudeis ob confessionem Christi fuisse egressos, & hinc ortam esse paupertatis exprobationem.

4. Eosdem christianos e Iudeis neophytes legum Iudaeorum fuisse seruantiores. Vnde per se pronum est, inter ipsos facile exortos esse pseudodidascalos Cerinthianos, qui in obseruatione cultus Mosaii ad primariorum christianismi dogmatum depravationem sint prolapsi. Atque ita ex hoc loco denuo confirmantur & illustrantur ea, quæ supra de Ebionæis partim ut genuinis christianis, partim vero ut intermixtis Cerinthianorum dogmatum sectatoribus, in medium protruli; hæresin vero Ebionæorum, in quantum a Cerinthiana distinguitur, esse fabulam, cui fingendæ veterum nonnullorum imprudentia hæresiologica occasionem dederit, inde simul constat. Conf. HARTMANNVS in *Commentario de rebus gestis Christianorum sub Apostolis c. XXII §. XIII. seqq.*

## MEMBRVM III.

DE

## NAZARÆI S.

Σύνοψις.

**E**Piphanius sine ullo fundamento e Et id confirmatur ex ipso Epiphanius Nazaræis nouam sectam constat nro. §. IV.

§. I.

Id quod pluribus ex eodem contra i. Etiusque plures fictiones & aberrationes in hæresiologia seculi primi indicantur. §. V.

Ipsum probatur. §. II. Data aliqua ifagoge in diiudicatio-

Et ostenditur, Nazaræorum nomine nem istius hæresiologia. §. VI.

ipius christianos contemnit fuisse insi. Et subiuncta mentione generaliore

gnitus. §. III. aliorum nominum sectariorum. §. VII.

§. I.

**E**N Nazaræis itidem peculiarem hæresin & sectam constat EPIPHANIVS Panar. Hæref. XXIX, sed sine ullo fundamento. Id quod adstruo i. e silentio scriptorum antiquiorum, præcipue IRENAEI, qui, in recensione hæresium seculi primi & secundi ex instituto occupatus, ne nomen

D

nomen quidem Nazaræorum exprimit. Et cum de iisdem cum aliis sileat EVSEBIVS, videmus, rem omnem resoluti in auctoritatem Epiphanius admodum laborantem. Quam quod AVGVSTINVS Hæres. c. X. cum aliis nonnullis secutus sit, miror. 2. Ex ipsius Epiphanius narratione de Nazaræis: Hæc enim sane scopas habet dissolutas, & boni viri *ἀναγράφει*, etiam aliis iamdudum alias obseruatam, prodit.

## §. II.

**E**t hoc ipsum ut lectorum oculis exponam, sequentia nota:

1. Epiphanus totus est incertus, in recensione sua fluctuans. Nam num I. fatetur, se ignorare, quorsum Nazaræos suos referre debeat, *utrum Ebionæis priores fuerint, an vero posteriores, & utri utris successerint*. Cum tamen de nominibus seu personis iisdem, non re, sed tantum denominatione, diversis neutrum dici queat, Num. VI. scribit: *Nazaræorum secundum Christum antecessisse, nec eum cognouisse*. Qua ratione Iudæos cum christianis confundit. Num. VII. non difficitur, se certo affirmare haud posse, quid de nativitate & persona Christi statuerint Ebionæi, ibidem Cerinthum perperam a Merintho distingueens,

2. Sibimet ipsi contradicit. Nam n. VII. Nazaræos promerit habet Iudæis (quemadmodum eosdem n. VI. temporibus Christi fecerat antiquiores, τὰ παῦρα δέ, inquiens, εἰσὶν Ἰδαῖοι, καὶ ἐδὲν ἔτερον. Per omnia vero sunt Iudei, nec aliud quidquam: & nihil tamen minus ex iisdem fæctam facit Christianorum: immo ibidem sui plane immemor εἰπείσως hæc subiungit: Porro non solum novo, sed & veteri testamento Iudeorum instar vntuntur. Quasi vero Iudeorum mercatilium esset, nouo testamento vti. Et in eodem tractationis articulo perficit: A Iudeis Nazaræi nullo in re dissentunt: qui ad legis pœscriptum ac Iudeorum more omnia sua dogmata profitantur, nisi quod in Christum credant. Nam & mortuos excitari pulsant & a Deo uniuersa producunt: Vnum esse Deum eiusque filium Iesum Christum, prædicant. -- Hoc uno tam a Iudeis, quam a Christianis differunt: ab illis quidem, quod in Christum credant, a Chri-

Christianis vero, quod Iudaicis adhuc ritibus implicentur, velut circumcisione, sabbato aliisque ceremoniis. Et quam parum sibi in aliis constet, mox videbimus. Iam illud adhuc notari velim, quam ineptus sit hic AuctoR n. I. & IV. vbi existimat, christianos, antequam hoc nomine Antiochiæ insignirentur, dictos fuisse Iesæos, a Iesse, Dauidis patre, immo ab ipso Iesu & post intempestiuum, nec næuis diuersis carentem n. III. & IV. sermonem de rebus Iudaicis, occasione vocis Iesse infaratum, Iesæos suos christianos a Iesse, immo ipso Iesu, ut existimat, sic dictos, cum Essæis Philonis confundit, hos ipsos perpetram habens pro christianis, Marci Euangelistæ ministerio ad Christum conuersis, quos itidem etiam Nazaræos appellat. Iti vero errori de Essæis christianis ipse EVSEBIVS in H. E. L. II. c. 16. 17. prætulerat,

## §. III.

Quæ cum ita sece habeant in narratione Epiphani de Nazaræis; manifestum est, illam sibi nequaquam constare, nec ullam mereri fidem, quæ de peculiari Nazaræorum hæresi & facta tradit. Iam vero quid res sit, paucis edisseram:

1. Notum est ex historia euangelica, Christum habitasse multumque versatum esse in Galilæa, speciatim in vrbe Nazareth, patria Iosephi & Mariæ, & inde vocatum esse Iesum Nazarenum, seu Nazareum: vid. Matth. II, 23. IV, 13. XXI, 11. XXVI, 71. Marc. I, 9. X, 47. Luc. I, 26. II, 4. 39. IV, 16. 34. XIX, 37. XXIV, 19. Io. I, 45. 46. XVIII, 5. 7. XIX, 19. Act. II, 22. III, 6. IV, 10. VI, 14. X, 38. XXII, 8. XXVI, 9.

2. Cum, vt ex his locis adpareat, appellatio Iesu Christi ab vrbe Nazareth esset communissima, & in omnium ore ac auribus hæreret, non poterant non christiani eadem diaconinæ & simul contemtim a Iudeis alioque insigniri, cum Galilææ & in ea Nazarethi notio vilior esset.

3. Et cum Christiani non solum ex Iudeis ortum suum ducerent, sed diutius etiam inter Iudeos ita versarentur, ut adhuc sacris illorum interessent, & tamen ab his ratione christianismi dissentirent; pronissimum erat, ut christianismus cum

christianis suis pro noua & copiosiore Iudæorum secta habetur.

4. Et hoc est, quod expressa historiæ sacræ littera habet Act. XXIV, 5. vbi Tertullus, Iudæorum nomine Paulum Cæsareæ accusans, dicit, ipsum esse περιστάτην τῆς Ναζωραϊου ἀγέστως, præsidem, seu Parronum præcipuum, haereses, seu sectæ Nazaræorum. Eodem sensu Iudei Romæ degentes a Paulo compellati respondent: *De hac secta notum est nobis, quod ubique habet contradictionem* Act. XXVII, 22.

5. Ex his evidenterissimum est, Nazaræos non fuisse hæreticos, ita dictos a christianis, sed genuini nominis christianos, a Iudeis præcipue diaxætikos & simul contemni ita appellatos, atque ita Nazaræorum nomen hoc ipso sensu esse synonymum nominis Ebionæorum.

6. Cum vero inter christianos istos e Iudeis neophytes, qui primum ad unum omnes erant Ἰεροτόποι, multi essent, qui Iudaismo in magnum ipsius christianismi, tam dogmatici in doctrina de persona & officio Christi, quam practici, in cultu Dei spirituali positi, præiudicium manerent addicti, aut, a pseudodidascalis iudaizantibus circumacti, eidem fierent additiores, & tamen eodem Nazaræorum nomine cum reliquis christianis vocarentur; hinc factum est, ut nomen hoc etiam peioris notæ notionem contraheret, & de Cerinthianis hæreticis usurparetur.

7. Atque ita in nihilum recedit *secta Nazaræorum*, in quantum a christianis, & inter hos ab ipsis etiam Cerinthianis hæreticis, distincta fuisse fingitur.

#### §. IV.

Huius fictionis auctor, vti iam antea ostensum est, exstitit EPIPHANIVS; & hic tamen ipse, sui immemor sibi que non parum contrarius, sententiam meam septem aphorismis haec enim propositam, quam luculentissime confirmat; & in ea quidem ipsa tractatione, qua Nazaræorum sectam, tanquam peculiarem, & a reliquis distinctam, describit, suamet ipse vineta inscius cædens. Id quod nunc ordine ostendendum est

I. Num.

1. Num. I. facetur, *christianos omnes Nazaræos fuisse vocatos*: & hoc repetit n. VI, *christiani*, inquiens, *ab omnibus Nazarei appellati sunt*; quemadmodum illi dixerunt, qui Paulum Apostolum accusarunt. Act. XXIV, 5. *Hunc hominem inuenimus patrorum sedē Nazaræorum*. Quando vero ibidem addit EPIPHANIUS: *At sanctus Paulus nomen istud non curat, et si ab illorum heretici abhorret*, verbis posterioribus repetit commentum suum, non obseruans, huic hypothesi suæ opposita esse ipsa Pauli verba v. 14, in ἀπόστολος sequentibus adducta, nimirum hæc: *Confiteor, quod secundum viam, quam vocant heretici, sic seruio patrio Deo &c.* quippe quibus Paulus negat, se alienum esse, aut abhorrire, ab hac sic dicta secta, declarans, quid secundum eam sentiat; et si ipsam sectæ appellationem non probet. Ibidem EPIPHANIUS ita pergit: *Neque vero mirum est, Apostolum semet ipsum Nazarenum confiteri, cum uniuersitate eo nomine christianos vocarent, ab oppido Nazaret, nec ullus alterius esset vocis usus illis temporibus, quae eos, qui Christi nomen dederant, possent exprimere*. Quæ posteriora quam falsa sint, quis non videt? Nam cum hæc in Actis memorata agerentur, nimirum anno Neronis sexto, Christi sexagesimo, iam ante annos octodecim, scilicet anno Claudi tertiio & Christi quadragesimo tertio ineunte, *christianorum nomen Antiochiae ortum*, ubique locorum receptum fuerat; quemadmodum etiam ex epistola Petri priore c. IV. 16. liquet: *Si quis patitur, ut christianus*. Quid? quod eodem loco, nempe Cæsareæ, & eodem fere tempore, quo Epiphanius negat, aliud nomen Christum proficitum notum fuisse, preterillud Nazareorum, Agrippas ad Paulum ait: *Parum absit, quia mihi persuaderas, ut christianus sis*. Act. XXVI. 28.

2. Num. VI. scribit: *Sancti Christi discipuli, cum ab aliis Nazareni dicerentur, nomen illud non recusabant, cum ad eorum, a quibus sic appellabantur, scopum respicerent, qui hoc se nomine Christi causa donabant; quandoquidem & Iesus ipse Nazarenus appellatus est*. u. t. λ. Atque ita Nazareni non fuerunt hæretici.

3. Num. VII. inter alia eadem tradit, quæ supra de christianis

stianis *Pellenibus*, qui per scommam Ebionei dicebantur, expo-  
sita sunt: Ceterum, inquiens, haec Nazaræorum secta in Beroensi  
ciuitate iuxta Cole Syriam potissimum viget; atque etiam De-  
capoli iuxta Pellam, & in Basanitide, in ea, quæ vulgo Cocabe He-  
braice Chochabe dicitur. Hinc enim post illam ab Hierosolymis se-  
cessione illorum initia projecta sunt, cum Pelle discipuli omnes  
habitarent, a Christo de relinquenda Hierosolymorum urbe mi-  
grandoque præmoniti, quod eius imminet et obſidio &c.

4. Num. IX. scribit, Iudeos Nazaræorum, h. e. christiano-  
rum, hostes fuisse: Neque enim, inquiens, solum Iudeorum po-  
steriori eos capitali odio prosequuntur; sed & mane ac meridie & ad  
vesperam ter de die, cum in synagogis suis ad orandum conueniunt,  
diris illos deuouent ac solemni imprecatione proscribunt. Ac Na-  
zareos, inquiunt, Deus execretur.

Ex his manifestum est, Epiphanius ipsum singulas istas  
positiones, quas supra de Nazareis, tanquam genuinis christi-  
anis, at falso creditis hereticis, exhibui, confirmare; non au-  
tem constare sibi ipso, quando Nazareos in peculiarem ali-  
quam sectam compingit, ἀντοίᾳ historica ad prudentis lecto-  
ris nauseam vbiique prodita. Ceterum quæ de Matthæi Euan-  
gelio Hebraico, tanquam Nazareis præcipue usurpat, tradidit  
antiquitas, ex instituto bene excussa videoas a Cl. THOMA  
ITTIGIO in Dissert. de Hæresiarchis sec. I. sect. I. Cap. VII.  
Conf. Appendix ad hoc caput p. 19. seqqv.

### §. V.

Restat in hac tractatione de hæresiologia seculi I., ut, quid  
præterea apud EPIPHANIVM aliosque de hereticis legatur,  
hic autem in censum haud veniat, seu memoratu dignum sit  
neutiquam, breuissime recenseam. Et ad ipsum EPIPHANIVM  
quidem quod attinet, is tractatione de sectis, inde a  
primis rerum originibus repetito, in Panarii sui libro I. sectio-  
ne seu tomo eius priore viginti habet hæreses, quæ Christi  
natiuitatem antecesserint. Et harum quatuor priores, tan-  
quam reliquarum fontes, secundum male intellectum locum  
Pauli Col. III, II. *In Christo Iesu non est barbarus, non Sætyba,*  
*nors*

*non Græcus, non Iudeus*, ponit in *barbarismo* feræ & agrestis  
vitæ, sub anarchia, qui ipsi ab orbe condito vsque ad Noachum  
per decem generationes durasse dicitur; in *Scythicismo* vitæ,  
sub magistratu crudeli inquietæ, a dilutio vsque ad Tharam,  
patrem Abrahami, ductæ: In *Hellenismo* labefactatæ veræ do-  
ctrinæ, per patriarchas traditæ: quæ corruptio, per idolorum  
cultum & superstitionem introducta, vsque ad cœconomiam  
euangelicam durauerit, in quatuor præcipuas sectas, *Stoicam*,  
*Platoniam*, *Pythagoricam*, sive *Peripateticam* & *Epicuream* di-  
uisa: & tandem in *Iudaismo*, a quo auctor *Samaritanismum* di-  
stinctum rursus in quatuor partitur sectas, nimurum *Esseno-*  
*rum*, *Seuaorum*, seu *Sebuaorum*, *Gorthorum* & *Dostheorum*.  
Inde vero ad *Iudeos* ipsos progressus septem inter eos sectas ante  
Christum natum numerat, eam *Sadducæorum*, *Scribarum*,  
*Phariseorum*, *Hemerobaptistarum*, *Nazaræorum*, *Offenorum*,  
*Herodianorum*. Atque ita ipsi emergit numerus sectarum vi-  
ginti ante Christum natum.

## §. VI.

In hac sectarum recensione quid defit, ut pluribus edisse-  
ram, præsentis instituti ratio non permittit. Nec, ut ve-  
rum fatear, opus est operosa disquisitione. Tantus enim  
angustias defectus se hic prodit, quem quilibet, historiæ philo-  
sophicæ & christianæ non plane ignarus, statim deprehendit.  
Imperitis ad istorum dijudicationem sequentes sufficient ob-  
seruationes:

1. Auctoꝝ, hæreses ecclesie christianiæ enarraturus, per-  
peram retrogreditur ad tempora re christiana longe antiquiora,  
hæreticorum catalogo sic sine causa auctoꝝ.

2. Et in hoc ipso regressu longissimo ne subsistit quidem  
in gente Iudæa, ita vt huius tantummodo sectas recenseat,  
sed facta ad reliquas, præcipue Græcanicas, gentes digressio-  
ne, etiam circa recensionem sectarum philosophicarum oc-  
cupatus est; immo ad ipsa antediluviana tempora retrogre-  
ditur,

3. Quem-

3. Quemadmodum occasio de sectarum antiquissimarum distinctione in *Barbarismum*, *Scythicisum* & *Hellenisum* captata potius, quam subministrata est e loco Col. III, ii. sic distinctio ista sola auctoris fictione nascitur.

4. Et cum alias sectas multiplicare soleat, in Hellenisino tantum substitit circa extantiores, multis aliis haud obscuris plane omissis. Nec præcipuarum, quas commemorat, sectarum cognitionem accuratiorem ipsum habuisse, manifestum est.

5. In sectarum Samaritanismi enumeratione etiam nulla reprehenditur *dneq̄sia*.

6. Septem vero Iudeorum sectas ficticias esse, ita ut numerus septenarius ad binarium recidat, res ipsa ostendit. Atque ita auctor statim in ipso tractationis suæ exordio, seu prima eius parte abunde prodidit, quam parum solidi in vniuerso opere exspectandum esset. Tomo seu sectione libri primi posteriore *tredecim* exhibet *hæreses*, quæ partim supra disquisitæ sunt, partim vero ad seculum secundum pertinent, aut ad fabulas recidunt.

### §. VII.

Quæ alias apud alios auctores de hæreticis ævi apostolici memorantur, obscura, dubia, immo falsa sunt, ideoque ab aliis scriptoribus, qui de hæresiologia ex instituto egerunt, se ferre neglecta, & propemodum non nisi solo nomine nota, &, si extiterunt vñquam, ad ea, quæ supra recensuimus, sunt referenda. Talia sunt ea de *Dositheo*, *Varisuo*, *Cleobio* seu *Cleobulo*, *Theodade*, *Theobute* seu *Theobuto*, *Gorthæo*, *Masbothæo*, *Eurychitis*, seu *Entychitis*, *Canifis*, *Adrianifis*, &c. de quorum nominum farragine supereruacua videatur THOMAS

IT TIGIVS in *Dissert.* de Hæresiarchis seculi  
priimi.



Fg 6179




AN

THE

16

DIS



OGDOADIS DISSERTATIONVM  
DE  
**HAERESIOLOGIA**  
SECVLI POST CHRISTVM NATVM PRIMI  
ET SECUNDI,  
**QVARTA**  
DE  
**SIMONE MAGO**  
ET EIVS SECTATORIBVS;  
NEC NON  
**EBIONAEIS ET NAZARAEIS;**  
TANQVAM  
HAERETICIS FALSO CREDITIS:  
QVAM  
*IN REGIA FRIDERICIANA*  
DIE MARTII HVIVS ANNI MDCCXXV.  
IN ACTV DISPVTACTIONIS PUBLICO,  
PRAESIDE  
**D. IOACHIMO LANGIO,**  
S. THEOL. PROF. ORDIN. ET ORDINIS SVI h. t. DEGANO,  
DEFENDIT  
RESPONDENS  
**IOACHIMVS SCHVLZE,**  
LENZA - PRIGNIC.  
S. THEOL. CVLTOR.  
HALAE MAGDEB. TYPIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP.